Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 525
Quelle:
Copyright:



*Quem, quia ſeruorum fraus conſpirata malorum*
*Inſontem ſtrauit, gladius chriſto ſociauit.*
*Ergo, quod optabas, martyr modo, qui prius abbas*
*In monacho chriſti teſtis chuonrade fuiſti.*

Caeſus eſt hic Abbas *Lunaelacenſis* a. 1145. ut pluribus *Chronicon Lunael.* p. 123. Epitaphii autor *Luitholdus* monachus jam alias memoratus. 8) Notatur incendium Ecclesiae D. *Wolfgangi* cum Oppido, ut in *Chron. cit.* ad an. 1429. p. 205. et Reformatio Monasterii in disciplina, ut ad an. 1435. p. 215.

CCXC.

R. 3068 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 125. f. maj. per duas columnas pereleganter exaratus, miniatis Librorum initiis, olim Coenobii *Montis Pomerii* vulgo *Baumgartenberg* Ord. *Cist.* nunc aboliti in ſuper. *Auſtria* ita inſcribitur: *In nomine ſancte trinitatis incipit tractatus ſancti Ambroſii de pſalmo centeſimo octauo decimo.* Initium eſt: *Licet Miſticę quęque velut tuba* (tubae) *increpuerit ſono dauid prophęta* &c. Ut extat edit. *Maur. Pariſ.* 1686. T. I. *col.* 971. f. ubi diſtinguuntur *Sermones* XXII. quos nobis tantum Litera grandis miniata diſcriminat. Ut lectionis dem ſpecimen, en Prologum collatum.

| Codex | Editio |
|---|---|
| *elucent atque eminent.* | lucent atque emicant. |
| *in prouecta — ętate.* | in proceſſa — ætate. |
| *exordia — ſeniles defectus.* | exordia — ſenilis defectus. |
| *doceret, non pluralitatem.* | omittit *non pluralitatem.* |
| *et ſimplicitatis.* | et ſimplicitatis animantia. |
| *rudis hoſtia, ſed quaſi rationis.* | omittit *hoſtia.* |

Bene ſperare jubent haec de toto Textu, cui inſuper et jam olim ſecunda manus curas adhibuit.

II. *fol.* 98. *In nomine domini noſtri ihesu chriſti. Incipit liber beati Ambroſii mediolanenſis epiſcopi. primus liber de myſteriis &* (ſecundus) *de Sacramentis.* Ita enim ſe in Codice conſequuntur. Initium: *De moralibus cottidianum ſermonem habuimus* &c. Ut edit. *cit.* T. II. *col.* 325. Sine diviſione in Capita nobis decurrit textus adcuratione infra Tractatum praecedentem. Ad calcem: *Finit liber de Myſteriis*, et continuo

III. *fol.* 102. *Incipit de Sacramentis. Liber Primus.* Eſt enim in edit. *cit. col.* 349. in VI. *Libros* diviſus, quae diviſio nobis tantum litera grandi miniata indicatur. Initium eſt: *De Sacramentis quę accepiſtis ſermonem adorior* &c. Non deſunt menda; manifeſte

tamen